

1246 Dez. 29 Cappenberg.

[21

Ludolf von Holte, Bischof von Münster, überweist den von Hugo de Warenhuvele resignierten Pächtern in Rheine an das Stift Warlar. 104

Ludolphus nobilis de Holte, Dei gratia Monasteriensis ecclesiae episcopus, omnibus in perpetuum. Quandoquidem temporalem sequuntur motum temporales actiones hominum, cautum est et salubiter provisum, ut quidquid inter praesentes memoria dignum geritur, ad noticiam posterorum vivaci litterarum testimonio transferatur, quae futurorum obviae erunt calumniae et res laudabiliter gestas immutabili tueantur veritate. Ea propter nov[er]it tam praesens aetas quam successiva posteritas, quod Hugo de Warenhuvele cum Sv[e]thero

milite fratre suo et aliis omnibus haeredibus suis decimam in Reenen, quam a nobis in beneficio tenuit, pro quadraginta et octo marcis ecclesiae Varlariensi venditam in manibus nostris de consensu et compromissione suorum haeredum voce et manu legitime resignavit, renuncians coram nobis cum suis haeredibus omni iure, quod in eadem decima videbatur habere, praeposito et conventui ecclesiae praedictae, supplicantes nobis, ut proprietatem decimae iam dictae cum minori decima Varlariensi ecclesiae iure proprietatis dignaremur in perpetuum assignare. Nos vero petitionibus eorum tamquam nobis specialiter dilectorum annuere volentes utramque decimam supradictam Varlariensi ecclesiae iure proprietatis perpetualiter possidendam contulimus et habendam. Igitur ut praemissa firma et stabilia permanerent in aevum et per succedentium calumniam deduci non possint in irritum, praesentem paginam exinde conscribi fecimus sigilli nostri appensione communitam. Acta sunt Capenbergae haec anno dominicae incarnationis M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup> quadragesimo sexto die Thomae Cantuariensis archiepiscopi. Hi sunt, qui praesentes fuerunt: dominus Hugo praepositus in Capenberg, Liborius praepositus in Varlare, Bernardus cellerarius in Capenberg, Albertus custos, Richardus superior in Varlare; Wilhelmus Ritze, Godefridus burchavius in Rechede, Alexander et Ludolphus milites de Lune, Wernerus miles de Ulincdorp, Gerardus de Ufflen, Bernardus notarius, Joannes sacerdos capellanus et alii quam plures. 105

Kopie im Warlarer Kopiar S. 54/55.